

que sterilia a principio essent, et ex hoc venerabilibus domibus nocuerunt, interdicimus igitur rectoribus venerabilium domorum tale aliquid agere: aut certe cognoscere, quia si non cum omni subtilitate fecerint contractus, sed fœneca quedam possessio aut damnosa detur ecclesiis, aut monasteriis, aut xenodochiis, aut nosocomiis, aut aliis venerabilibus collegiis: contractus quidem pro non facto erit, et recipiet omnino qui dat, quod per circumventionem, et fallaciam datum est. Oeconomus autem qui tale aliquid egerit, aut abbas, aut xenodochus, aut nosocomus, aut ptochotrophus, aut orphanotrophus, aut gerontocomus, de suo, ei qui dedit, salvabit ex hoc damnus. Si vero sic causa figuretur, ut etiam aliquod aurum pro hoc detur: et hoc lucrabitur quidem venerabilis domus quæ fœnecum aliquid acceperit: qui vero aurum dedit, habebit contra eum qui contractum celebravit, ex hoc actionem, sicut prædiximus.

EPILOGUS.

Hæc omnino a nobis super ecclesiasticarum, aut omnino ptochicarum rerum alienatione posita sit lex: Leonis quidem piæ memoriæ sequens constitutionem, et non aliud quidem curans, aliud autem incuratum relinquens: sed in omni terra quam Romanorum continet lex, et catholica ecclesiæ sanctio, hæc extendatur, et determinet quæ sua sunt, et valeat perpetua et custodita, et a sanctissimis patriarchis uniuscuiusque diœcesis, et a Deo amabilibus metropolitibus, et ab aliis episcopis, et clericis, et œconomis, et abbatibus, et xenodochis, et nosocomis, et brephotrophis, et gerontocomis, et orphanotrophis, et omnibus similiter rectoribus aliquorum sanctorum collegiorum: omnibus imponens proprium robur: et licentiam præbens volenti denuntiare quæ delinquantur. *Laudabilis enim huiusmodi est, et calumniatoris⁵⁶ effugiet nomen, qui causam contra leges factam redarguit, auctor pietatis et utilitatis sacris domibus factus.* Servabunt autem eam nihilominus et nostræ reipublicæ iudices majores et minores, civiles et militares: et præcipue per omnes diœceses constituti gloriosissimi præfecti sacrorum prætoriorum: et medias habentes administrationes, quos *spectabiles* vocant: dicimus autem augustales, et proconsulares, et spectabiles comites, et alios Orientis, et qui post illos sunt magistratus, hoc est provinciarum consulares sive præsidēs constituti, atque defensores civitatum: et similiter omne civile et militare et publicum auxilium, hanc nostram legem, tanquam in communi utilitate, et pro totius terræ pietate positam servet: et prævaricatores subdat penis quas primitus diximus. Si quid autem de conductionibus ecclesiasticarum rerum aut in aliis capitulis sancivimus, aut a prioribus nostris sancitum est: maneat hoc in propria firmitate: neque ex presenti sacra nostra constitutione novandum; alia enim omnia manerent in propriis terminis sinimus: nisi tamen aliquid de iis habeat que hic constituitur: cum sufficiat pro omnibus hæc lex super id quod a Leone piæ memoriæ factum est, omnem adversus ptochicas res auferre alienationis occasionem. Tua igitur beatitudo, et qui post illam in pontificalibus sedibus fuerint, quæ a nobis disposita sunt, operi effectumque tradere festinet. Divinitas te servet per multos annos, sancte ac religiosissime pater. — Dat. 17 kalend. Maji Constantinop., BELISARIO V. C. Coss.

TIT. II.

UT IUDICES SINE QUOQUO SUFFRAGIO² FIANT.

NOVELLA CONSTIT. VIII.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Joanni præfect. præt. iterum exconsuli et patricio.

PRÆFATIO.

Omnes nobis dies ac noctes contingit cum omni lucubratione et cogitatione degere semper volentibus ut aliquid utile, et placens Deo a nobis collatoribus præbeatur, et non in vano vigiliis ducimus: sed in ejusmodi eas expendimus consilia, pernoctantes, et noctibus sub æqualitate dierum utentes: ut nostri subjecti sub omni quiete consistant, sollicitudine liberati: nobis in nosmetipsos pro omnibus cogitationem suscipientibus; per omnem namque curiositatem et inquisitionem subtilem discurremus, illa agere quærentes, quæ utilitatem nostris subjectis introducendo, omni eos onere liberent, et omni damno extrinsecus illato citra publicum censum, et justam legitimamque collationem. Invenimus enim plurimum ingressam causis injustitiam: hanc non olim, sed ex quibusdam temporibus violenter accessisse, et omnes nostros subjectos ad inopiam compu-

⁵⁶ Fac. L. 5, c. 1. L. 18, pr.: L. 53, D. de injuriis. Tit. II. — 1. Adde N. 161. — 2. L. un. C. de suffragio. Adde L. ult. C. ad leg. Juliam re-

lisse, ut ad novissimam ipsi penuriam devenire fluctuarent, et neque consueta et legitima tributa, et pro veritate piæ functiones secundum publicum censum possint sine maxima necessitate persolvere. Quomodo enim valerent collatores, cum ex aliquo tempore imperatores semper aliquid lucrari ex proventu judicum cogitarent, et merito hos sequerentur etiam gloriosissimi præfecti: ex hac injustitia, damnis extrinsecus illatis, solennibus piis collationibus sufficere?

§ 1. Cogitatio igitur nobis facta est, quod agentes omnia quæcumque in nostris provinciis sunt: uno actu communi ad meliora migraremus. Hoc enim omnino eventurum credimus, si præsidēs gentium quicumque civiles administrationes provinciarum habent, *puris* procuremus uti *manibus*, et ab omni abstinere acceptione, pro illis solis contentos eis quæ a fisco dantur. Quod non aliter fiet, nisi et ipsi cingula sine mercede percipiant, nihil omnino dantes nec occasione suffragiorum, neque iis qui cingula habent, nec alii omnium ulli. Consideravimus enim, quia licet questus immodicus imminuitur imperio, attamen nostri subjecti incrementum maximum percipient, si indemnes a iudicibus conserventur: et imperium *et fiscus abundabit utens subjectis locupletibus*: et uno hoc introducto ordine, plurima rerum et innumera erit ubertas. An certe non omnibus manifestum est, quoniam qui aurum dat, et ita administrationem emit: non dat hoc solum quantum occasione adventum est suffragiorum, sed et aliud extrinsecus addit amplius occasione commodi administrationem aut dantibus aut spondentibus? et sic uno principio illicito dato plurimas necesse est manus circumire eum qui donationem facit: et hoc non de suo forte præbere, sed mutuatam, et ut mutare possit, damnificatam, et computare apud se, quia convenit eum tantum ex provincia percipere, quantum liberet ei quidem debitas sortes et usuras, et damna pro ipso mutuo: computabit autem et in medio expensas largiores, jam et iudici, et qui circa ipsum sunt, convenientes: et quandam etiam sibi meti recondet questum in tempore sequenti, in quo forte non administrabit. Quapropter ejus quod ab eo datum est, triplum, magis autem, si oportet verius dicere, decuplum erit, quod a subjectis nostris exigitur: et ex hoc etiam fiscus imminuitur: nam ea quæ oportebat in fisco inferri, eo quod administrationem habet puris utentem manibus: hoc ad propriam utilitatem redigens qui administrationem habet, et inopem faciens nobis collatorem, inopiam ipsius quæ per ipsum agitur, nobis reputat et quanta impie talia fiunt, ad horum furtorum merito relata occasionem? Administrationes namque habentes provinciales, ad hanc acceptionem respicientes, multos quidem reorum dimittunt, vendentes⁵ eis delictum: plurimos autem innoxios condemnant, ut noxii præstent, et hoc non solum in pecuniariis causis agitur, sed et in criminalibus, ubi de anima est periculum: fugeque fiunt ex provinciis, et conflunt huc omnes ingemiscientes sacerdotes, et curiales, et officiales et possessores, et populi, et agricola, iudicum furta merito et injustitias accusantes: et hæc non fiunt sola, sed etiam civitatum seditiones, et publicæ turbæ plerumque pecuniæ causa fiunt atque sedantur: et omnino una quedam est hæc omnium occasio malorum: et accipere suffragium a iudicibus, totius nequitia est principium, et terminus est quoque hoc sacrorum eloquiorum mirabile et verum, quod avaritia omnium sit mater malorum: maxime quando non privatorum, sed iudicum inheret animabus. Quis enim sine periculo non furetur? quis non latrocinabit sine reata ad administratorem respiciens? Illum namque videns omnia auro vendentem, et præsumens, quia quicquid egerit illicitum, hoc pecunias dando redimet: hinc homicidium, et adulterium, et invasiones, et vulnera, et raptus virginum, et commerciorum confusio, et contemptus legum et iudicum, omnibus hæc venalia proposita esse putantibus, tanquam aliquid vilium mancipiorum. Sed neque sufficimus considerare et exponere quanta ex furto provincialium iudicum fiunt pessima: nullo eos præsumente cum fiducia redarguero: cum illi repente se emisse cingula pronunciant.

CAP. I. De magistratibus sine suffragii datione creandis.

Hæc omnia apud nos cogitantes, et hic quoque participem consilii sumentes eam, quæ a Deo data est nobis reverendissimam conjugem, et tuæ celsitudini causam communicantes, et quædam etiam a tuo sumentes consilio, ad hanc sacram venimus legem per quam sancimus, neque proconsularem ullam, neque hactenus vocatam vicariam, neque comitem Orientis, neque aliam quamlibet administrationem, neque proconsularem, neque præsidalem, (quam consularitatis et correctivas vocant) quarum expressim meminit subjecta huic sacre legi nostræ descriptio, quasque solas sub hæc lege ducimus dare aliquid suffragium, neque pro administratione quamlibet donationem, neque iudici ulli, neque horum qui circa

petunt. — 3. Adde L. 4, pr. D. ad leg. Cornel. de sicariis.

administrationem sunt alicui, neque alteri per occasionem patrocini: sed gratis quidem sumere administrationes: pauca vero præbere occasione eorum, quæ pro cingulis dantur et chartis, nam subiecimus etiam descriptionem huic sacre nostræ legi, declarantem quid competat unamquamque administrationem nostram præbere in sacro nostro laterculo, aut in foro tuæ celsitudinis occasione codicillorum, aut præceptorum: unde et illud abbreviatum est, ne præstet illi maximum damnus.

CAP. II. De vicario Asiæ et præside Phrygiæ⁴ in comitis Phrygiæ Pacatiæ nomen translatis.

Illud tamèn decernimus, oportere vicarium Asiæ, qui est quoque iudex Pacatiæ Phrygiæ, non ulterius quidem ita nuncupari, sed de cætero comitem Phrygiæ Pacatiæ nominari: et percipere de fisco quæ etiam nunc occasione annonarum et capitum pro utraque administratione percipiebat, nihil horum immittit: non autem duobus officiis uti: sed permixtum et iudicis et vicarii unum esse, comitiano existens et nominatum: periculo functionum publicarum et ei et omnibus similiter imminente: utpote uno officio constituto, non dividendo penitus, sed per unam continuationem militantibus universis: quod accipiet quidem propter duplex periculum, annonas, et capita: quæ utraque pridem percipiebat officium: non tamen in altera quadam administratione pridem quidem vicarium, nunc autem spectabilem comitem in Pacatiæ Phrygiæ, non habentem penitus ullum participium in aliis Asiæ provinciæ diœcesibus: sed habentem quidem spectabilis comitis Pacatiæ Phrygiæ cognominationem, contentum vero in sola Pacatiæ, sicut prædiximus, Phrygiæ.

CAP. III. De vicario Ponticæ sublati⁵ et in comitis Galatiæ primæ nomen translato.

Hoc autem ipsum et in alterutro pridem vicario definivimus: dicimus autem eum qui est in Ponticæ diœcesi, ut non duo consistent de cætero: sed unus comes quidem Galatiæ primæ nominandus, et habiturus etiam super milites potestatem, sicut habet et nunc: et utriusque cinguli percipitur annonas, non tamen foris primam Galatiam: nullam etenim ei aliam penitus damus habere potestatem in ulla Ponticæ regione, sed in sola Galatiæ primæ, officio quidem miscendo, et secundum unam (sicut dictum est) intelligendo et numerando conjunctionem, comitiano existente et nominando: nulloque penitus eorum ad alios habente aliquam differentiam: sed unum esse officium sub uno iudice unius provinciæ præsule: omni simili officio una cum suo iudice circa fiscalia periculum sustinente.

CAP. IV. Ut nulli iudicum liceat mittere vicarios.

Nulli quoque iudici penitus concedimus neque civili neque militari mittere per civitates provinciæ quibus præsidet, eos, qui vocantur *loci servatores*⁶, scientibus, quia si quid tale fecerint, ipsi cadent administratione, præsumentes alios in suum officium elevare.

CAP. V. Ut comitis Orientis et præsidis Antiochiæ officium misceatur.

Hoc autem ipsum dicimus et in clarissimo comite Orientis⁷, et clarissimo iudice: et illic enim unam administrationem utramque facimus, habentem quidem et spectabilis comitis Orientis nomen: officio vero uno presidente comitiano existente et nominando, et primæ solius Syriæ, et Syriensis presidente, et utriusque administrationis annonas habente, æqualem namque vicariis illum ponimus, ut et ipse cum subiecto sibi officio periculum habeat, et pro fiscalium exactione, et pro civili et publica disciplina.

CAP. VI. Ut omnes privati præsidibus subjaceant, et executores quoque urbis Constantinopolitanæ.

Volumus autem omnibus iudicibus nostrarum provinciarum omnes subdi: privatos quidem, secundum quod cinguli proprium præmium est, in omnibus causis, et universis pecuniariis et criminalibus occasionibus. Qui vero in militiis constituti sunt [et propriis⁸ iudicibus deputati] etiam istis nihilominus occasione fiscalium et criminalium subdi omnibus eis modis. Sed etiam eos qui hinc descendunt, et ex quolibet foro, qui quascunque exequuntur sententias, licet provinciarum iudicibus non sinere amplius aliquid quam sacra nostra constitutione dispositum est, percipere⁹ sportularum: scientibus quia si hoc neglexerint, omne damnus ex hoc nostris collatoribus illatum, ipsi persolvent. Damus autem licentiam eis et referre de eo non solum ad iudices, a quibus sunt missi, sed etiam ad nosmetipsos: ut nos hanc agnoscentes causam competenter exequamur. Si autem ipsi aliquos invenerint propter dignitatis et cinguli

4. N. 145. — 5. Mut. Edict. 8. — 6. N. 17, c. 10; 128 c. 20; 154, c. 2. — 7. L. un. C. de ob. comit. Orient. — 8. Fac. tit. C. de offic. milit. iudic. — 9. Adde N. 17, c. 5; 86, c. ult.; 174, c. 8. — 10. Adde N. 161, c. 1; L. ult. C. ad leg. Jul. repetund. — 11. c. 1, supr. hic. —

supercilium nostris collatoribus violentias irrogantes, licentiam eis damus etiam examinare violentias, et reos inventos privare cingulo: et nostrum ordinem in provinciis adimplere: hoc quod etiam veteribus dictum est legibus. Sicut enim eos omni injusto lucro prohibemus: ita etiam pure cingulis utentes, omni honore et reverentia et honestate frui sancimus.

CAP. VII. De iurejurando a præsidibus præstando, quod pecuniam nec nomine quidem suffragii dederint.

Sic igitur a nobis cingulis discretis, convenit eum qui sic acceperit administrationem, cum Dei memoria coram nobis, aut si non vacat, coram tua celsitudine, et qui tuam rexerit selem, et qui semper fuerit gloriosissimo comite sacrarum nostrarum largitionum, et gloriosissimo questore sacri nostri palatii, et gloriosissimo comite ubique sacrarum nostrarum privatarum rerum, presente quoque et per tempora magnificentiissimo chartulario sacrorum nostrorum cubiculorum, qui codicillis his apud nos ministrat, iusjurandum dare, nihil¹⁰ penitus nec quodlibet se præbere, neque occasione suffragii, neque patrocini, et neque promittere, et neque de provinciæ profiteri dirigere, neque gloriosissimis præfectis, neque aliis cingula habentibus, neque iis qui circa eos constituti sunt, nec alteri cuiuslibet per occasionem patrocini: sed sicut sine suffragio¹¹ accepit administrationem, a publico percepturus annonas: (has enim solas accipere eum sinimus) sic eam puris custodire manibus Deo et nobis pro ea redditurus rationem. Sciat enim tua celsitudo, et qui post te eandem conscenderint sedes: quia sive ipsi præsumperint accipere quicquam ab iis, qui ad prædictas administrationes accedunt, sive proceres ipsi, sive etiam officium tuum, ultra ea quæ occasione consuetudinum a nobis eis definita sunt: quæ scilicet sufficere sola putantes, dari decrevimus: non in parvis penam fieri: sed maximi quidem iudices accipere aliquid præsumentes ab iis, qui administrationes accedunt, aut etiam permittentibus suum officium tale aliquid agere, et nunciatum non emendantes: non solum quadruplum reddent totius quantum perceperunt, sed etiam magnam indignationem sustinebunt, et cinguli periculum formidabunt: et qui circa eos sunt, et obediens eis officium, si amplius aliquid quam a nobis concessum est, tentaverint accipere, ipsi quoque subiciantur damnis quadruplæ redditionis, et cadent etiam substantia et cingulo: insuper et suppliciiis subjaceant quæ congruunt delictis eorum.

CAP. VIII. Ut præsidēs¹² tributorum exactioni diligenter incumbant.

Eos autem qui ita sine mercede sumunt administrationes, præ omnibus studium habere decet fiscalia vigilanter inspicere, et indevotos quidem et egentes necessitate, cum omni exigere fortitudine, in nullo flexos, neque pro hoc ipso lucrum aliquid omnino considerantes: devotis autem paterne se exhibere: deinde nostros subjectos reservare undique sine violentia, nihil ab ullo eorum percipientes: sed æqui sint in iudiciis; æqui vero in publicis disciplinis: exequentes quoque delicta, innoxios quidem undique custodientes eos, qui puri sunt: reis autem penam imponentes secundum legem: et ita præsidēs collatoribus, tanquam¹³ patres filiis: diligentes quidem eos qui sunt innocentes: qui vero rei monstrantur, castigantes ac punientes: omnemque justitiam in publicis et privatis documentis eis servantes: et non ipsi soli hoc agentes, sed etiam semper consiliarium talem sumentes, et qui circa eos sunt omnes, ut non videantur illi quidem veluti innoxii esse, per alios autem delinquant atque furentur: hoc quod magis turpe est, ut et participes injustitiarum sumant. Ideoque licebit tuæ celsitudini honestiorum quosdam ad administrationes dirigere, et scientium tributa fiscalia: curialium quippè et aliarum personarum experimentum sui dantium bonum, et ad magistratus opportunorum. Quis enim non diligit eum, et honestate compleri magna putet, si nostro decreto iudicioque tui culminis ad cingulum veniat, testimonium quidem habens, quia sit optimus, gratis vero eum suscipiens: non vacans omnino per provincias ulli privitati, nec quemadmodum quod dedit congreget, nec unde colligat aurum, sed ut hoc solum habeat studium, Deo nobisque semetipsum commendare, et gloria frui optima, et recompensationem sperare præcipuam.

§ 1. Si quis autem præter hoc aliquid egerit, et donec in administratione est iudex, furti reus appareat, et probetur aut aurum dans ut¹⁴ accipiat administrationem, aut accipiens ex administratione, (utrumque¹⁵ enim similiter noxium est) sciat quia et confiscationem et exilium sustinebit, et in corpus verbera atque supplicium. Ipsum quoque qui acceperit ab eo (sicut prædiximus) malis subiecimus maximis; puras enim exigimus esse provincialibus iudicibus manus: ut collatores custodiamus,

12. N. 161, c. 2; Edict. 4, c. 2, § 2. — 13. c. 10, § 1. in fin. infr. hic. — 14. In pr. et 1, supr. hic. — 15. L. ult. C. ad leg. Jul. repetund.; fac. L. 51, C. de episcopis.

Et ista quidem tam ex legibus quam ex administrationibus imminere debent pœnæ iis qui in prædictis administrationibus sunt, si tale aliquid egerint. Damus autem provincialibus licentiam, si quid apud provinciam injustum, qui administrationem habet, egerit: vel si damnis aliquibus aut calumniis subdat nostros collatores: ut Deo amabiles episcopi et provinciarum primates preces ad nos dirigant, exponentes cingulum habentis delicta; nos enim hæc agnoscentes dirigemus in provinciam hoc examinatum: quatenus ipse ubi injustitiam fecit, illic¹⁶ quoque pœnas subeat delictorum: ut neque alter quisquam tale aliquid agere præsumat, ad exemplum respiciens.

CAP. IX. Ut præsidēs quinquaginta¹⁷ dies faciant in provincia sua, postquam eis successum est.

Necessitatem¹⁸ habente eo qui administrationem rexit, secundum priores constitutiones, dum deposuerit fasces, dies quinquaginta¹⁹ in provincia commorari, publice se monstrantem, et ab omnibus suscipientem conventiones. Si tamen ante compleantur quinquaginta dies, fugiens capiator velut aliquod inhonestissimum mancipiorum: damus licentiam collatoribus detinere eum in provincia: et omne quod dederunt ei occasione furti, hoc exigere præsentem tamen Deo amabili episcopo, et causam ex non scripto examinante, donec reddat omne quicquid furatus ostenditur; sed etiam ipsos provinciales, si senserint administratorum furtum, licentiam habere, magis autem necessitatem, hæc referre nobis: ut cognoscentes quia omnino auro vendidit justitiam, prædictis eum subiciamus pœnis; super quod etiam cœlestibus supplicis reus erit, transcendens jusjurandum in quo accepit administrationem. Si autem voluerit ex quacumque causa non completis quinquaginta diebus ex provincia fugere: tunc comprehensus ubicumque degere videtur, revocabitur quidem in provinciam in qua administrabat: omne vero quod inventus fuerit accepisse, restituat in quadruplum.

CAP. X. Ut omnes provinciales præsidibus suis debitum honorem et solitas acclamationes deferant.

Illud videlicet observandum, nullam esse nostris subjectis licentiam in alio quodam præter furtum hoc circa iudices agere. Non enim si videatur vehementissimum inde votis propter fiscalium exactionem, aut propter delictorum executionem, dabimus subjectis agere aliquid adversus eum. Ex diverso autem etiam pœnis eos omnium amarissimis subjugamus, si eos qui puris usi sunt manibus, et fiscalium exactionem cum omni detulerint subtilitate, postea deponentes administrationem injuriari præsumperint, et non cum omni favore post legitimum tempus provincias relinquentes deduxerint. Oportet enim eos qui post hanc legem nostram faciendi sunt clarissimos subiectarum provinciarum iudices, considerare quanta quidem perfuerunt gloria tales apparentes: quantis autem sint incursum difficultatibus, legem hanc solvere quantum ad se præsumentes. Erit enim absurdum, si eos quidem qui in vilibus capiuntur furtis, ipsi torquebant, et non primitus quiescant donec reddant furta: ipsi autem innoxii manserint in maximis constituti furtis, et neque apud subjectos erubescerent exemplum, cum liceat eis honestis et liberis et undique laudandis ostendi, et a nobis habere testimonium et spem. — § 1. Non sinimus autem nec spectabilibus iudicibus, nec alteri alicui quamlibet eis oppressionem aut injuriam inferre, aut civilibus omnino causis communicare: ut et nos eis honestatem servemus, et illi puritatem nobis devotionemque restituant. Sciant enim omnes subjecti, quia propter eorum utilitatem, et undique eorum indemnitate, et ut per omnem agantur quietem, et non cogantur provincias²⁰ relinquere, et in peregrinis affligi, propterea præsentem legem scripsimus, Deo eam voventes, et presentibus venerabilibus maximæ ejus communionis festivitatis diebus ut²¹ omnibus, liceat patres suscipere magis iudices, quam fures et sollicitatores, et eorum substantiis insidiantes. — § 2. Oportet quoque vos nostros subjectos scientes quantum vestri posuimus providentiam, cum omni devotione publica, sine imminutione tributa persolvere: et neque administratorum egere necessitate, sed ita devotos vosmetipsos præbere, ut nobismetipsis ostendatur operibus, quia et ipsi pro hujusmodi clementia propriam nobis devotionem restituatis et merito habebitis omnem a iudicibus occasione devotionis, favorem et providentiam: illud scientes, quia iudicibus imminet undique fiscalium periculum, et manifestum est, quia proprio suo periculo administrationes assumunt, et vos hæc agnoscentes, et omnimodo evitate inde votem, et nocte vestras voluntates ita præbere inobedientes, quatenus eorum præsidum egeatis vehementia, quam necessarium est eos assumere propter inevitabilem fiscalium exac-

16. N. 69, c. 1; L. 28, § 25, D. de pœnis. — 17. c. 13, infr. hic; N. 161, c. 1. — 18. Auth. Si vero, C. ut omnes iudic. — 19. N. 95, 198, c. 22; L. un. c. ut omnes iudic. l. 3, C. de aduersorib. — 20. Fac. L. 6, § 5, D. de offic. præsid. — 21. c. 8, in pr. supr. hic. — 22. N. 161, c. 2. — 23. L. 1, in pr. C. de offic. præf. præf. Africæ. — 24. c. 10, § 1, supr. hic. —

tionem: scientibus vobis nostris subjectis, quia militares expensæ, et hostium incursionem multa egent diligentia, et non possunt citra²² pecunias hæc agi, causa videlicet nullam recipientem dilationem, neque nobis concedentibus despicere Romanorum terram diminutam, qui et Libyam omnem reparavimus²³, et Vandalos in servitutem redeimus, et plurima adhuc, et majora horum speramus a Deo percipere et agere, pro quibus competens est fiscalia tributa sine imminutione et devote et secundum definita exigi tempora. Quapropter si vos quidem devote occurratis iudicibus, illi vero facilem et præparatam fiscalium illationem in vos exhibuerint: et iudicium laudabimus studium et vestram approbavimus voluntatem, et undique una quadam erit optima consonaque præsentium, et quibus præsentem, congruentia magna.

CAP. XI. Ut omnes Deo gratias agant hujus legis late gratia.

Itaque Deo et Salvatori nostro Jesu Christo omnes similiter offerant hymnos pro hac lege, quæ eis dabit et patriam habitare caute, et proprias facultates habere liberrime, et iudicium frui justitia. Nam et nos propterea eam posuimus: ut et justitiam, quæ in lege est, valeamus domino Deo vovere, et nosmetipsos et nostrum commendare imperium, et non videamur despiciere homines oppressos, quos nobis tradidit Deus: ut eis per omnia parcamus, ejus sequentes benignitatem. Ideoque quantum ad nos consecratur²⁴ hæc lex Deo: eo quod nihil in mentem nostram veniens boni pro tuitione subjectorum reliquimus. Volentes enim inhonestam hæc et servilia furta perimere, et nostros subjectos in quiete a provincialibus iudicibus conservare: propterea festinavimus gratis administrationes eis dare: ut nec ipsis liceat delinquere, et abripere subjectis, quorum causa omnem perferimus laborem, dedignantem imitari eos, qui ante nos imperaverunt, qui pecuniis²⁵ ordinant administrationes, sibi metipsis auferentes licentiam administratoribus nocentibus increpandi juste, et ipsi ea quæ percipiunt, celando, justis putati et propriis collatores propter hoc abripere a malis iudicibus non valentes: unde nec ipsis iudicibus increpare poterant agere caste, occasione prædictæ causæ. Nos autem sufficientem imperio quæstum esse putamus, ut collatores sola fiscalia conferant tributa, et nihil aliud extrinsecus queratur, quod subjectis omnem commoveat vitam.

CAP. XII. In quibus causis a præside detenti, fori præscriptionem non habeant.

Quod autem primitus a nobis dictum est adhuc majori opere, et subtiliori completi existimavimus legislatione, quatenus nostra intentio omnibus fiat aperta. Sancimus enim clarissimos subiectarum provinciarum administratores citra omne factos pecuniarum suffragium²⁶, et ab his dati iurejurandi²⁷ memores, habere, et hanc a nobis licentiam, ut nulla sit ulli apud eos penitus fori præscriptio²⁸, neque in iis quæ committuntur ab aliquibus violentis, neque in criminibus, et quæ hinc oriuntur læsionibus, neque in seditiosis publicis, neque in publicorum tributorum exactionibus: sed omnes similiter subjacere horum jurisdictioni, non expectantium neque præcepta suscipere a iudicibus, quibus subjecti sunt, neque nuntiare ad eos, sed contentos esse hac nostra lege, per quam omnem eis potestatem præbimus: nemine licentiam habente penitus in prædictis causis neque privilegio uti quolibet, neque ex hoc sibi imperare, ut delinquant innoxie. Non enim qui omni abstinent acceptione iudices, aliud quiddam Dei, et legis nostroque præponent timori: sed ad illum respicientes servabunt subjectis justitiam, omnia secundum nostras iudicantes, et agentes leges. — § 1. Qui enim milites, et hujusmodi in provinciis constitutos eis subiciamus: neque in hoc egebunt præcepto cujusquam proprio aut a nobis, aut a nostris iudicibus, sed præsentem lege utentur, et hanc eis ostendent, ut auxilientur²⁹ eis utentibus judiciali fiducia, scientibus quia nisi hæc egerint, et emolumentorum et militie sustinebant casum, et in corpus periculum patientur: ut nobis nullo alio penitus opus sit iudice, et aut latronum insectores³⁰, aut appellatos violentiarum³¹ inhibitores, magis autem fures, aut violentos mittere, occasione quidem quasi rationabili utentes, ipsos autem omnium pessima facientes. Cum enim iudices provinciarum uniuscujusque maximorum iudicium compleant officium, et pro omni alio cingulo provinciarum sufficient, et ad ea quæ ex nostris legibus super eis decreta sunt: quis præsumat, aut fori præscriptionem, aut hujusmodi aliquo apud eos uti?

CAP. XIII. De latrunculatoribus et viocolytis, et aphoplistis.

Interdicimus autem et gloriosissimo magistro militum Orientis, et omnibus nostris iudicibus, aut latronum insectatoribus³², aut violentiarum inhibitoribus, aut armatos³³, aut aliquos tales destinare in provincias.

25. pr. supr. cod. — 26. c. 1, supr. cod. — 27. c. 7, supr. cod. — 28. Adde L. 5, in fin. D. de offic. præsid. — 29. L. 65, D. de rei vindic. — 30. c. 13, infr. hic. — 31. d. c. 15. — 32. N. 158, c. 21; 154, c. 1. — 33. N. 86.

Sciant enim qui ad hoc instituti post hanc nostram legem præsumperint, quoniam capti ab his nostris iudicibus provinciarum, et in vincula redigentur, et ad nos causa nuntiata, a nobis summum periculum sustinebunt; et qui hujusmodi eis præcepta tradiderint, triginta librarum auri sustinebant pœnam: et majorem insuper ac vehementiorem nostram indignationem experientur. Oportet igitur iudices provinciarum tanquam promeritis a nobis potestatem, sic causis uti, ut juste et legitime sint omnibus metiendi: scientes, quia si data a nobis administratione, male et indigne abutantur a nobis concessa sibi licentia, subjacebunt supplicis, quæ primitus diximus: et donec administrationes habent, hæc perferentes, et dum eas deposuerint, majori adhuc experientur periculo. Non enim eis damus licentiam antequam legitimum quinquaginta³⁴ dierum compleatur tempus, a provinciis, in quibus administraverint, discedere, aut per occasionem revocatorie, aut per occasionem fugæ, aut per aliam quamlibet causam: scientibus (sicut prædiximus) sive ad hanc veniant felicissimam civitatem, sive in quacumque regionem, ad provinciam denuo revocati, cui præfuerint, pœnas sustinebunt omnes, quas prius diximus.

CAP. XIV. Quomodo aut apud quem jurare debent magistratus, et de exigenda ab his cautione.

Jusjurandum vero dabunt hoc quidem quod superius³⁵ diximus. Si vero aliquibus in provinciis existentibus mittantur cinguli codicilli, et coram Deo amabili episcopo metropolitano, et qui in eis primates sunt, jusjurandum subibunt, et ita cinguli suscipient actiones, tua quippe celsitudine providente, sive in hac maxima civitate perciperit aliquis administrationem, sive in provincia, ei codicilli ejus transmittantur a tua celsitudine: ut ipse qui accepit, cautionem faciat fisco, *De tributorum inculpabili exactione*, sicut ipse pure probaveris. Posita sit autem lex hæc a nobis, in omnibus administrationibus a nobis nominandis, et ex præsentem sine suffragio percipiendis: nam quæ processerunt pridem, postis subjaceant legibus; nulla pœna horum quæ in hac nostra lege determinata sunt, imminere hactenus administrationes habentibus: nisi tamen et ipsi post insinuationem hujus legis furati capiantur.

EPILOGUS.

Hæc igitur tua celsitudo universa cognoscens, in omnibus gentibus sub se constitutis fieri manifesta procurat, solenniter præceptis utens apud omnes provinciarum præsidēs: ut ipsi cognoscentes nostrum circa subjectos studium, et quantum habemus, circa ordinationem iudicium voluntatem, considerent quanta eis bona participantur, neque imperii familiaritio: pro eorum felicitate parcentes. — Dat. BELISARIO præfecto, 16 kal. Maji, 535.

Edictum³⁶ scriptum in omni terra Deo amabilibus archiepiscopis et sanctissimis patriarchis.

Tradita nobis a Deo reipublice curam habentes, et in omni justitia vivere nostros subjectos studentes, subjectam legem conscripsimus: quam et tuæ sanctitati, et per eam omnibus qui tua provincia sunt, facere manifestam, bene habere putavimus. Tuæ igitur sit reverentia et ceterorum hæc custodire: et si quid transcendatur a iudicibus, ad nos referre: ut nihil contentum horum, quæ sancte et juste a nobis sancita sunt. Sic enim nos quidem nostrorum subjectorum miserati, quoniam supra fiscalium functionum exactionem, etiam maximas sustinent ex furto iudicium violentias, propter factas provinciarum venditiones, hæc auferre per subjectam studium legem. Vos autem si negligentes non referatis, a nobis quidem consecratam Domino Deo: rationem reddetis apud eum pro aliorum injustitia, si quod non agnoscentibus nobis damnum apud vos hominibus inferatur: sed oportet præsentem vos provinciis, et pro eis ac reliquis detestantes, manifestos nobis facere et rectos iudices, et transcendentes hanc legem nostram, quatenus utrosque cognoscentes, hos quidem peniamus, illis autem repensem. Cumque lex publice proposita fuerit, et omnibus manifesta: tunc intus recondatur in sanctissima ecclesia cum sacris vasis, utpote, et ipsa dedicata Deo, et ad salutem ab eo factorum hominum scripta. Facietis autem melius et illic habitantibus universis hominibus utilius, si eam insculpetis aut tabulis³⁷ aut lapidibus in portibus sanctissimæ ecclesiæ describatis, plenam præbentes omnibus horum quæ sancita sunt lectionem atque possessionem.

CAP. I. De defensoribus civitatum.

Si vero pro iudicium puritate hanc habuimus providentiam: palam est quia multo magis defensoribus non permisimus nec quicquam accipere, nec dare. Dabunt enim concessis sibi præceptis in foro gloriosissimum præfectorum (si quidem majores sint civitates) sol. iv, si vero minores sint, sol. iii, et ultra hæc, nihil. Accipient autem nihil ab ullo, si ali-

34. c. 9, supr. hic. — 35. c. 7, supr. cod. — 36. Edict. Justin. — 37. Par. L. 2, § 4, D. de jur. — 38. c. 11, supr. hic. — 39. Adde L. 1, L. 2, C. de offic. præf. præf. Afr. — 40. c.

quis ex fisco solennis eis quæstus erit; aut si nihil ex fisco percipiunt: nihil ultra quam sacra nostra statutum est constitutione, percipiant: alioqui si quid accipere capiantur, aut ipsi aut qui vocantur eorum chartularii, aut alter quisquam qui circa eos sunt: illi quadruplum restituent quod acceperunt, et hæc sollicitudine repellentur: insuper exilio perpetuo mulcabitur: et in corpore castigati, reddent provinciam viris bonis pro malis defendendam. Eritis autem et in hoc custodes vos et inhibentes quæ contra hæc fiunt, et insinuantes: ut neque lateat aliquid horum quæ delinquantur, neque latendo sit impunitum: sed omnis æquitas atque justitia nostris subjectis floreat. Si vero etiam hactenus iudices non post insinuationem hujus legis omni abstineant furto: sciant et ipsi hujus legis pœnæ se esse subjectos.

Scriptum est exemplar edicti Constantinopolitanis habens ita.

Quantam subjectorum posuimus providentiam, ostendit a nobis nuper posita lex, quam ad gloriosissimos nostros præfectos scripsimus. Sed competens est et vos ipsos scire nostram providentiam quam circa omnes homines habemus, et propterea legem ipsam et in edictis proposuimus figuram, ut et vos Domino Deo ac Salvatori nostro Jesu Christo, juste referatis hymnos³⁸, et nostro imperio, quia omnem pro vestra utilitate perferimus laborem.

Notitia³⁹ eorum quæ ab unaquaque subditarum administrationum debent præberi circa consuetudinem quantitatis, ab iis qui administrationes habent: nullo præsumente extra ea, quæ subscripta sunt, nequaquam requirere amplius aliquid.

§ 1. A spectabili comite⁴⁰ Orientis [sic:] in sacro cubiculo, sol. LXIII; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, cum quatuor scriniariis sacri laterculi, sol. num. 2; ejus adjutori, sol. III; officio gloriosissimum præfectorum prætoriorum pro jussione, sol. LXXX. — § 2. A proconsule Asia ita: in sacro nostro cubiculo, sol. num. XII; primicerio clarissimum tribunorum notariorum cum quatuor scriniis sacri laterculi, sol. n. XL; ejus adjutori, sol. n. III; officio gloriosissimum præfectorum prætoriorum pro jussione, sol. n. LXXX. — § 3. A spectabili comite⁴¹ Phrygiæ Pacatianæ ita: tribunis chartulariis sacri nostri cubuli, sol. n. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. n. XXIV; ejus adjutori, sol. n. III; officio gloriosissimum præfectorum prætoriorum, sol. n. L. — § 4. A spectabili comite⁴² Galatiæ primæ ita: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. n. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. n. XXII; ejus adjutori, sol. n. III; officio gloriosissimum præfectorum prætoriorum, sol. n. L. — § 5. A vicario Longimuri⁴³ ita: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. n. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. XXIV; ejus adjutori, sol. III; officio gloriosissimum præfectorum prætoriorum, sol. n. XL.

Et quæcumque administrationes consulariæ sunt.

§ 6. A iudice Palestina primæ⁴⁴ ita: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. XXIV; ejus adjutori, sol. III; officio gloriosissimum præfectorum prætoriorum, sol. n. XL. — § 7. A præside Palestina secundæ sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. XXIV; ejus adjutori, sol. III; cohorti gloriosissimum præfectorum pro jussione, sol. XL. — § 8. A præside Pheniciæ maritimæ sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. XXIV; ejus adjutori, sol. III; cohorti gloriosissimum præfectorum pro jussione, sol. XL. — § 9. A præside Syriæ secundæ sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. XXIV; ejus adjutori, sol. III; cohorti gloriosissimum præfectorum pro jussione, sol. XL. — § 10. A præside Theodoriadis sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. XXIV; ejus adjutori, sol. III; cohorti gloriosissimum præfectorum pro jussione, sol. XL. — § 11. A præside Osdroënæ sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. XXIV; ejus adjutori, sol. III; cohorti gloriosissimum præfectorum pro jussione, sol. XL. — § 12. A præside Ciliciæ primæ sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. XXIV; ejus adjutori, sol. III; cohorti gloriosissimum præfectorum pro jussione, sol. XL. — § 13. A præside Cypri sic: spectabilibus tribus chartulariis sacri cubuli, sol. IX; primicerio clarissimum tribunorum notariorum, sol. XXIV; ejus adjutori, sol. III;

38. supr. hic. — 41. c. 2, supr. cod. — 42. c. 3, supr. cod. — 43. N. 26, in pr. — 44. N. 105, c. 3, in fin.